

accommodate intelligitur; præsertim quia Concilium in eo sensu loquitur, quo solent Theologi loqui in hac materia, quorum hæc est communis sententia et sensus. Et ratio etiam insinuata est evidens, quia si effectus pendet ex solo arbitrio Dei, etiam supposita institutione et promissione, nulla potest intelligi promissio talis effectus, neque absoluta, neque conditionata; quia per promissionem fit infallibilis effectus, vel simpliciter, vel posita conditione, et consequenter non pendet ex solo arbitrio in sensu composito; si vero nulla intercedit promissio, non potest sacramentum esse causa talis effectus, quia sacramentum non est causa, nisi supposito pacto et promissione. Nisi fortasse quis dicat, promissionem esse hujusmodi, conferendi talem effectum, per tale sacramentum, non semper, sed quando Deus voluerit illum efficere. Sed hæc responsio gratis conficta est, contra sensum Doctorum omnium; et præterea tollit omnem certitudinem in effectibus sacramentorum, etiamsi homo faceret quantum in se esset ad illos suscipiendos; quod est aperte contra definitionem Concil. Trident., et contra totius Ecclesie sensum, et contra vim verborum sacre Scripturæ, in quibus hæc promissiones continentur; videtur etiam contra veram rationem promissionis; qualis enim est promissio sub conditione, si promittenti liberit eam implere? Denique in omnibus aliis sacramentis effectus gratiæ semper sunt hoc modo infallibiles, qui pertinent ad bonitatem simpliciter; quod ideo dico, quia in extrema unctione sacramentis corporis non est effectus ita infallibilis, qui non pertinet ad bonum simpliciter, nec aliter homini conveniens est in ordine ad bonum animæ; sub hac tamen conditione, id est, si ita expediat suscipienti, est infallibilis effectus. Adde, falso et sine fundamento dici, quibuscumque datur hic effectus, dari ratione Eucharistiæ in re, vel in voto; interdum enim dari potest, vel ex merito de congruo, vel ex Dei arbitrio, propter solum meritum Christi, sine ordine ad ullum sacramentum, ut ostenditur potest argumentis supra factis, et exemplo illo de homine, qui post viaticum receptum peccet mortaliter, et deinde conteratur vel confiteatur et sic moriatur in gratia; ille enim recipit hoc donum et beneficium finalis gratiæ non propter Eucharistiam prius susceptam, quia post illam peccavit mortaliter, et fortasse ipsamet Eucharistiam indigne suscepit; neque in voto Eucharistiæ sumendæ, quia revera iterum sumenda non est, neque

ille homo tenetur amplius communicare; unde non habet votum Eucharistiæ, sed potius potest habere propositum contrarium: ergo. Denique hoc donum gratiæ, quod confertur adulto justificato, ut in gratia decedat, supra remissionem peccati et primam gratiam nihil addit, præter specialem Dei provisionem seu providentiam, qua fit, ut ille moriatur, antequam malitia mutet mentem ejus, ut quando post ultimam conversionem ad Deum, brevissimum vitæ tempus superest, nec tentationes instant, neque specialis Dei motio et excitatio est necessaria; ostendimus autem hoc ipsum, scilicet, mori in statu gratiæ, non esse effectum hujus sacramenti: ergo.

15. *Eucharistia non est necessaria ad gloriam corporis consequendam.* — Et ex his omnibus infero, non esse etiam Eucharistiam medium necessarium ad gloriam corporis consequendam; hæc enim respondet gratiæ consummatæ, seu gloriæ animæ; et ideo sacramentum, quod est sufficiens causa gratiæ, est suo modo causa gloriæ, tam animæ, quam corporis; et ideo Paulus, Rom. 6, resurrectionem tribuit baptismo, quia resuscitando animam, dat jus ad resurrectionem corporis; et c. 8, generalius dicit, resurrectionem corporis gloriosi futuram esse, propter inhabitantem Spiritum Dei in nobis, utique per gratiam.

16. *Conclusio quarta.* — Dico quarto, posse hoc sacramentum quodammodo seu moraliter dici necessarium ad perseverandum in gratia, id est, valde utile et efficax; adeo, ut dicere possimus, eum, qui voluntarie diu abstinet ab hujus sacramenti perceptione, vix posse moraliter dici perseverare in gratia sine novo peccato mortali. Ita insinuat D. Thom. supra, quæst. 63, art. 4, clarius in 4, d. 12, q. 3, art. 2, quæstionc. 4, ad 4, et 4 cont. Gen., c. 64; et multa ex Patribus ad hoc propositum congerit Claudius, repetit. 6, c. 7; solum est notandus locus Cypriani, exponentis orationem Dominicam, et circa verbum illud, *panem nostrum, etc.*, dicentis: *Ut manifestum est eos vivere qui corpus ejus attingunt, et Eucharistiam jure communionis accipiunt, ita timendum est, et orandum, ne dum quis abstentus separatur a Christi corpore, procul remaneat a salute, comminante ipso et dicente: Nisi manducaveritis, etc.* Et ad eundem modum loquitur Concil. Cabilonense II, cap. 46; et ponderandum est illud verbum, *timendum est, et orandum*, quo satis significat, hoc non esse infallibile, nec simpliciter necessarium, sed valde periculosum, atque

adeo moraliter quodammodo necessarium; de qua necessitate, proveniente ex fragilitate hominis, et periculis hujus vitæ, videtur exponere locum Joan., quæ expositio ita est sumenda, ut non excludatur alia propria, de qua infra. Ratio vero non est alia, nisi quia hoc sacramentum per se est institutum, ut conferat homini singulare auxilium ad cavenda peccata, et perseverandum in gratia; ergo cum hæc res sit adeo difficilis, et hominum fragilis, non est incredibile, si contemnat, vel voluntarie omittat hoc medium, facile casurum; præsertim, quia cum Deus jam instituerit hanc veluti ordinariam viam, facile fortasse deseret eum, qui voluntarie illam deserit; secus vero est, quando involuntarie omittitur, quia tunc et votum sacramenti et alia media poterunt supplere hunc effectum.

17. *Dubium.* — *Sententia Cajetani.* — *Explicatur mens Cajet.* — *Solutio dubii.* — Sed quæret aliquis, cum hoc sacramentum sit nobilissimum cæteris, cur non est impositum sub majori, vel æquali necessitate, ac cætera, cum potuerit Christus sub hac lege illud institueri? Responderi potest ex Cajetano hic, rationem sumi ex natura sacramentorum; nam regeneratio, quæ est per baptismum (et idem suo modo est de poenitentia) est initium vitæ spiritualis; et ideo per se requirit, ut tanquam medium, in re ipsa, exhibeatur, et per se accidens est, quod interdum in voto sufficiat. At Eucharistia se habet per modum finis, cujus natura est, ut habeatur in intentione; et ideo hoc sacramentum per se salvat, ut in voto existens, ac propterea non est natura sua medium necessarium. Quæ ratio primum videri potest obscura, quia vix intelligitur, quid, et quomodo concludat. Deinde videri potest falso dicere, si proprie de sacramento, et sacramentali ejus usu loquamur, quod per se salvat Eucharistia in voto suscepta; quia si sermo sit de salute simpliciter, prout conferri potest per baptismum, et alia media, illam non confert Eucharistia, etiam in voto suscepta, ut dixi; si vero sit sermo de salute prout per Eucharistiam conferri potest, ad hoc per se requiritur, ut non tantum in voto, sed etiam in re Eucharistia suscipiatur; unde etiam falsum est, hoc sacramentum, per se et natura sua, in voto esse sumendum; quia revera non est institutum, per se loquendo, nisi ut in re et sacramentaliter suscipiatur; et hoc modo est necessarium ea necessitate, quæ in illud convenire potest,

scilicet præcepti, ut jam dicam. Dico autem semper, *si proprie loquimur*. Primo quidem, quia si loquamur de voto hujus sacramenti, sicut de proposito servandi alia præcepta, sicut dici potest observatio præceptorum et propositum ejus salvare hominem, ita etiam dici potest votum hujus sacramenti conferre ad salutem, ut iterum statim dicam. Deinde (quod valde observare oportet ad intelligenda aliqua loca tam D. Thom. quam Sanctorum PP.) quia cum in hoc sacramento sit realiter ipse Christus, imo cum revera Christus sit ipsum sacramentum, facile fit transitus ab hoc sacramento ad Christum, et e contrario; unde, quia tota nostra salus a Christo manat, et conjunctio cum illo est simpliciter necessaria ad salutem, ideo dum loquuntur Sancti de hoc sacramento, ratione rei in illo contentæ, dicunt ab illo esse efficaciam omnis gratiæ, et ex voto aut desiderio ejus, seu in ordine ad illud, omnem perfectionem gratiæ conferri. Et ad hunc modum posset accommodari dictum Cajet., ut magis patebit ex dicendis. Ratio ergo propria, ob quam sacramentum hoc, quamvis sit perfectissimum, non est medium simpliciter necessarium, non aliunde, quam ex ipsamet perfectione, et excellentia ejus, petenda est; nam quo est nobilissimum, eo magis accedit ad rationem finis, et deficit a ratione medii necessarii; sicut perfecta charitas melior est, quam inchoata, non tamen ita est ad salutem necessaria; vel certe gloria ipsa melior est, quam gratia, non tamen est in ratione medii ita necessaria sicut gratia, quamvis intentio et desiderium consequendi gloriam sit necessarium; et ita hoc sacramentum cum sit finis omnium, non oportuit esse necessarium medium, quamvis desiderium ejus dici possit necessarium, vel ratione rei contentæ, id est, desiderium Christi; vel, si proprie sit sermo de sacramento, solum ratione præcepti, erit necessarium propositum sumptionis ejus, sicut propositum servandi alia præcepta. Et hoc fortasse voluit Cajetanus.

18. *Declaratur doctrina resolutionis.* — *Corollarium ex præcedente discursu deductum.* — Secundo explicatur hoc amplius, solvendo simul secundam rationem contrarie opinionis; nam quia hoc sacramentum nobilissimum est, decuit, ut per se et ex natura sua primam gratiam supponeret, et non esset sacramentum mortuorum, sed vivorum, quia sanctissimum omnium sacramentorum sanctius, quam cætera, tractandum est; et ideo

non potuit esse medium necessarium ad primam gratiam; supposita autem prima gratia, illa de sese est sufficiens causa gloriæ, et per opera bona et meritoria, potens est ad crescendo et resistendum contrariis, et auxiliium ad hoc necessarium ex natura sua illi debitum est, quia virtute et efficacia privari non debuit per alicujus sacramenti institutionem; et ideo non potuit hoc sacramentum esse necessarium ad salutem. Adde tertio, illud donum perseverantiæ, quod datur alicui, ut infallibiliter in gratia moriatur, non potuisse, vel saltem non oportuisse conferri ex opere operato per aliquod sacramentum, vel quia semper pendet ex futuro usu liberi arbitrii, ut quidam dicunt, vel (quod verius existimo) quia pendet ex divina electione, quæ non est ejusdem modi in omnibus, neque habet eosdem effectus perducentes ad gloriam, etiamsi effectus sacramenti, et dispositio recipientis æqualis sit; et aliunde etiam expediens fuit hoc donum non esse infallibiliter annexum huic sacramento, ut homines semper timerent occulta Dei judicia, et liberalis Dei gratia magis ostenderetur. Ex quo discursu intelligitur, stante ordinario modo providentiæ et electionis divinæ, non potuisse aliquod sacramentum esse singulis hominibus necessarium medium ad salutem, nisi ad dandam primam gratiam, et tollendum peccatum illi contrarium, institutum sit.

19. *Responsio ad argumenta contraria.* — *Ad primum.* — Ad fundamenta contrariæ sententiæ, ut respondeamus illi testimonio Joan. 6, et Patribus, qui circa illud citantur, nonnulla dicenda sunt. Primum est, D. August. sæpissime locum illum exponere, non de sacramentali manducatione, sed de spirituali, quæ est per fidem; quo sensu sæpe ait, parvulos manducare, quia per fidem in habitu credunt; seu quia pertinent ad unitatem corporis Christi. Quem sensum videntur sequi Cypr., et Innoc., præced. sectione citati, quando indicant Eucharistiam esse necessariam parvulis; et expresse D. Thom. supra, quæst. 65, art. 4, ad 2, et infra, quæst. 80, art. 9, ad ultimum; et colligi potest ex Aug., lib. 4 contra Julian., c. 2, et lib. 2, c. 4, et lib. 4 cont. duas epist. Pelagian., c. 4, et l. 3 de Doctr. Christ., c. 48, et aliis locis, quos infra, quæst. 75, art. 4, tractabimus ostendendo non esse hunc solum litteralem sensum illius loci, sed potissimum esse de sacramentali manducatione Christi in hoc sacramento. Unde August. qui priori sensu utitur, nun-

quam hunc excludit, sed potius aliis locis illum docet, ut infra dicemus; notat etiam Pet. Soto, lect. 8 de Eucharistia, Patres, cum prædictum sensum sequuntur, nunquam dicere homines non posse salvari sine hoc sacramento, sed sine participatione corporis et sanguinis Domini.

20. Secundo igitur dicitur, sermonem ibi esse de hoc sacramento; sed oportet advertere, quædam ex illis verbis esse tantum affirmativa, seu promissiva, ut: *Qui manducat me, vivet propter me*, et: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*; et hæc nullam indicant necessitatem, sed efficacitatem hujus cibi; habet autem illa promissio subintellectam conditionem, ut supra diximus. Et ita ex hac parte facile expeditur difficultas; neque enim oportet, sicut Filius est a Patre, ut ab unico principio, ita spiritualem vitam in nobis esse ab hoc sacramento; non enim necesse est exemplum esse simile in omnibus; neque comparatio in eo fit; sed solum in communicatione et dimanatione. Alia sunt autem verba comminatoria, ut sunt illa: *Nisi manducaveritis*; et hæc continent quidem necessitatem, non tamen medii, sed præcepti; hujusmodi enim forma verborum, de se indifferens est, et interdum significat necessitatem medii, ut in illo: *Nisi penitentiam egeritis*; interdum vero præcepti, ut in illo: *Nisi efficiamini sicut parvuli*, etc. Unde ex materia, in quam cadunt, discernendus est sensus; si enim est sermo de re necessaria ad tollendum peccatum mortale, vel acquirendam gratiam, præter necessitatem præcepti continent necessitatem medii; et hujusmodi sunt locutiones illæ de baptismo et penitentia. Si vero sermo sit de actione aliqua, quæ supponit peccatum remissum, et gratiam acquisitam, solum significant necessitatem præcepti, ut si dicamus: *Nisi quis servaverit mandata, non salvabitur, vel, Nisi quis restituerit, etc.*, nam, quia observatio mandatorum est suo modo necessarium medium ad salutem æternam, ideo his etiam verbis hæc necessitas significari potest. Et de hac necessitate loquitur Cyrillus supra, et sæpe August., et D. Thom. infra, quæst. 80, art. 11, ad 4, et optime Laurentius Justin., lib. de Perfectionis gradibus, cap. 14, et alii, qui interdum agunt contra eos, qui mysterium hoc non credunt et contemnunt. De quibus merito dicunt, non posse salvari sine hoc sacramento, saltem credito, et desiderato, eo modo quo creduntur et desiderantur alia præcepta, ad quem

modum dicunt etiam sacrificium Missæ esse necessarium ad salutem.

21. *Parvuli non habent præceptum de Eucharistia sumenda.* — Et juxta hanc expositionem, consequenter dicendum est tertio, verba illa: *Nisi manducaveritis*, etc., dirigi ad adultos tantum, et non ad infantes, ut bene D. Thom. exponit lect. 7 in Joan., et Laurentius Justin., lib. de Obedient., c. 54; Jansen., cap. 59 Concordiæ, ubi dicit August. interdum extendisse illa verba in aliquo sensu ad parvulos, ad abundantiam doctrinæ; non vero, quia ille sensus necessarius esset, nec proprius illorum verborum. Primo quidem, quia soli adulti sunt capaces præcepti; verba autem illa præceptum continent, ut dixi; nec potest dici extendi ad infantes, hoc sensu, quia scilicet adulti tenentur illis Eucharistiam præbere; erroneum est enim hoc; nam nullum extat tale præceptum, ut quæst. 80 ostendimus. Secundo, quia Eucharistia per se non est instituta pro parvulis, sed pro adultis, ut usus Ecclesiæ probat; et quia non omnes infantes sunt capaces proprii cibi et potus corporalis, nec etiam spiritualis, quia non sunt capaces devotionis; ergo verba, quibus hoc sacramentum præcipitur, non diriguntur ad parvulos. Christus enim de propria et perfecta manducatione loquitur, de sacramentali, scilicet, quæ habet adjunctam spiritualem, ut fructuosa sit, et qualis decet tantum sacramentum. De qua etiam loquitur Paulus, 4 Cor. 11, cum inquit: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat*; indicans neminem esse satis aptum ad edendum, nisi qui probare seipsum potest, quod est proprium adultorum; totus ergo sermo de hoc sacramento proprie ad adultos dirigitur. Et confirmatur, quia valde consentaneum est huic sacramento, ut convenienti modo suscipiatur, cum actuali devotione suscipientis; ergo non fuit conveniens necessitatem ejus imponi alicui, qui non est capax hujus devotionis, et reverentiæ. Tertio hoc colligitur ex ipsa verborum forma; in baptismo enim passive dictum est: *Nisi quis renatus fuerit*, quod propriissime convenit parvulis; hic vero active dicitur: *Nisi manducaveritis*, quod, ut dixi, non potest proprie convenire omnibus parvulis, sicut alibi etiam dictum est: *Nisi penitentiam egeritis*, quia illa etiam verba ad solos adultos dirigebantur. Nec vero hinc sequitur, quod supra inferebatur, posse illa verba de solis illis hominibus exponi, qui Christum audiebant, quia, cum præceptum

generale fertur, licet solum coram iis, qui adsunt, promulgetur, non tamen ad solos illos pertinet, sed ad omnes, qui sunt capaces illius, et non ad alios, ad quos materia talis præcepti non spectat, quia non sunt illius capaces, sicut dicendum necessario est in illis verbis: *Nisi penitentiam egeritis*, quæ ad solos adultos referuntur, non tamen ad illos solos, qui præsentés aderant, quando Christus illa protulit; et simile seu proportionale est de illis: *Hoc facite in meam commemorationem*, quæ nec etiam omnibus adultis dicta fuere, sed solis sacerdotibus, non tamen solis præsentibus, sed omnibus qui in Ecclesia futuri erant.

22. *Quo sensu omnes justificati habeant votum Eucharistiæ.* — Hinc quarto, propter D. Thom. auctoritatem, qui tam hic, quam aliis locis sic loquitur, admitti potest in aliquo sensu omnes justificatos habere votum hujus sacramenti. Primo, secundum quandam accommodationem, seu proportionem, quatenus videlicet omnis res inclinatur ad suam consummationem et perfectionem; nam quia per gratiam unimur Christo, et hæc unio specialiter perficitur per hoc sacramentum, ideo qui justificatur, quasi ipso pondere gratiæ dicitur appetere perfectam unionem cum Christo, qualis per hoc sacramentum fit; et specialiter, quia baptismus est janua sacramentorum, Eucharistia autem est veluti finis eorum, ideo quodammodo baptismus dicitur includere votum Eucharistiæ, sicut medium dicitur appetere finem, vel inchoatio perfectionem, ut insinuavit Cajet. infra, quæst. 80, art. 12. Vel secundo dici potest, parvulum per baptismum quodammodo accipere jus ad communicandum Christi corpori, sicut sponsa per matrimonium ratum accipit jus in corpus sponsi; quia ergo necessarium est acquirere hoc jus, et qui habet jus ad aliquam rem, quasi moraliter censetur appetere consummationem seu usum illius juris, ideo sacramentum ipsum baptismi, conferendo hoc jus, censetur conferre votum hujus sacramenti, de quo legi potest August., lib. 3 de Peccat. merit., cap. 4. Vel tertio, et fortasse melius, quia ad justificationem medium necessarium est propositum, seu votum implendi omnia præcepta, vel per actum proprium, ut in adultis, in quibus hæc est necessaria dispositio ad justitiam, vel per habitum, seu per alios, in parvulis, qui, sicut dicuntur habitu credere, vel per Ecclesiam, ita dicuntur habitu, vel per alios proponere servare omnia præ-

cepta, et quia unum præceptum est de sumenda Eucharistia, ideo dici possunt habere votum et propositum hujus sacramenti. Ad quem modum exponi potest quod August. dicit, epist. 407 ad Vitalem, *parvulos credere, et comedere carnem Christi per corda et ora gestantium*. Hinc vero non fit, hoc sacramentum esse medium necessarium magis, quam alia præcepta, quia nullus effectus necessarius specialiter datur propter hoc sacramentum, neque ab illo pendet; sicut etiam intentio consequendi beatitudinem, quæ per virtutem spei concipitur, est necessarium medium ad salutem, ipsa vero beatitudo non est medium; sic igitur, licet dicamus, aliquo modo votum aut desiderium Eucharistiæ esse necessarium tanquam intentionem et desiderium finis, non inde fit ipsam Eucharistiam esse medium necessarium ad justitiam, sed solum ad quandam justitiæ perfectionem pertinere.

23. Ultimo, jam observavi, Patres loquentes de hoc sacramento, sæpe facere transitum a Christo ad hoc sacramentum, et ab unione cum Christo ad Eucharistiam, et e converso, quia Christus in hoc sacramento vere et realiter continetur. Unde, quia conjunctio cum Christo est simpliciter necessaria ad salutem, et similiter, quia omnis gratia a Christo necessario manare debet, ideo dicunt, hoc sacramentum esse necessarium quoad rem, quam efficit, quanquam, ut ex Petro Soto notavimus, August. et alii nunquam dicant, homines, præsertim parvulos, salvari non posse sine hoc sacramento, sed sine participatione corporis et sanguinis Domini. Secundum argumentum solutum jam est.

24. Ad tertium argumentum solutio. — Ad tertium ex metaphora cibi desumptum, primum jam ostendimus non procedere in parvulis, in quibus differentia est inter vitam corporalem et spiritualem, quod in illa semper et in omni ætate agit naturalis calor, et corpus patitur a contrariis, et ideo a principio indigent alimento aliquo; at vero spiritualis vita, pro tempore infantie, nulli actioni contrariæ subjecta est, et ideo non indiget cibo. Secundo, in adultis notari potest alia differentia, quia corporalis vita ex necessitate patitur actionem contrarii agentis, quod damnum non potest, nisi per nutrimentum reparari; at vero spiritualis vita non potest damnum pati, nisi per actionem liberam; et ideo non est illis simpliciter necessarius cibus, extrinsecus adveniens (ut ita dicam), sed per actio-

nes liberas, ut per amorem Dei et Christi, qui est cibus spiritualis animæ, augeri, et defendi potest. Unde dicitur tertio, quando plura sunt ciborum genera, licet cibus sit simpliciter necessarius, non tamen hic, vel ille definite; sic igitur spiritualis vita habet quidem utilissimum cibum sacramentalem (ut ita dicam), tamen habet etiam alium, quasi internum, in actibus virtutum consistentem, quo etiam potest nutriri, et a contrariis defendi; quia igitur ille cibus, qui est sacramentum, non destruxit alium, neque abstulit illi efficaciam, idcirco quamvis utilissimus sit, non tamen est necessarius simpliciter. Quarto addit D. Thom. hic ad 2 (et fere in idem redit), cibum corporeum esse necessarium, quia mutari debet in alium; cibus vero animæ Christus potius mutat alium in seipsum; quod potest præstare, non solum perceptus in sacramento, sed etiam spiritualiter conceptus, per ipsius animæ, et mentis propositum, id est, per fidem, et amorem ipsius Christi.

ARTICULUS IV.

Utrum convenienter hoc sacramentum pluribus nominibus nominetur (infra, quæst. 79, art. 2, ad 1. Et 4, dist. 8, quæst. 1, art. 1, quæst. 3).

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod inconvenienter hoc sacramentum pluribus nominibus nominetur. Nomina enim debent respondere rebus; sed hoc sacramentum est unum, ut dictum est (art. 2 hujus quæst.). Ergo non debet pluribus nominibus nominari.

2. Præterea, species non notificatur convenienter per id, quod est commune toti generi. Sed Eucharistia est sacramentum novæ legis. Omnibus autem sacramentis commune est, quod in eis confertur gratia, quod significat nomen Eucharistiæ, quod est idem, quod bona gratia. Omnia etiam sacramenta remedium nobis afferunt in via præsentis vitæ, quod pertinet ad rationem viatici. In omnibus etiam sacramentis fit aliquid sacrum, quod pertinet ad rationem sacrificii. Et per omnia sacramenta sibi invicem communicant fideles, quod significat hoc nomen synaxis, in græco, vel communio, in latino. Ergo hæc nomina non convenienter adaptantur huic sacramento.

3. Præterea, hostia videtur esse idem, quod sacrificium. Sicut ergo non proprie dicitur sacrificium, ita nec proprie dicitur hostia.

Sed contra est, quod usus fidelium habet.

Respondeo dicendum, quod hoc sacramentum habet triplicem significationem. Unam quidem

respectu præteriti, in quantum scilicet est commemorativum dominicæ passionis, quæ fuit verum sacrificium, ut supra dictum est (q. 48, art. 3), et secundum hoc nominatur sacrificium. Aliam autem significationem habet respectu rei præsentis, scilicet, Ecclesiasticæ unitatis, cui homines aggregantur per hoc sacramentum. Et secundum hoc nominatur communio vel synaxis. Dicit enim Damasc. (lib. 4 Orthod. fid., c. 14, a med.), quod dicitur communio, quia communicamus per ipsam Christo, et quia participamus ejus carne et Deitate, et quia communicamus et unimur ad invicem per ipsam. Tertiam significationem habet respectu futuri, in quantum, scilicet, hoc sacramentum est præfigurativum fructus Dei, quæ erit in patria. Et secundum hoc dicitur viaticum, quia hic præbet nobis viam illuc perveniendi. Et secundum hoc etiam dicitur Eucharistia, id est, bona gratia, quia gratia Dei vita æterna (ut dicitur Rom. 6), vel quia realiter continet Christum, qui est plenus gratia. Dicitur etiam in græco metalepsis, id est, assumptio, quia, ut Damasc. dicit (lib. 4 Orthod. fid., cap. 14), per hoc Filii deitatem assumimus.

Ad 1 ergo dicendum, quod nihil prohibet idem pluribus nominibus nominari secundum diversas proprietates vel effectus.

Ad 2, dicendum, quod id, quod est commune omnibus sacramentis, attribuitur antonomastice ei propter ejus excellentiam.

Ad 3, dicendum, quod hoc sacramentum dicitur sacrificium, in quantum representat ipsam passionem Christi. Dicitur autem hostia, in quantum continet ipsum Christum, qui est hostia salutaris, ut dicitur Ephes. 5.

COMMENTARIUS.

1. Quinque tantum nomina hujus sacramenti explicat D. Thom., eaque distinguit ex diversis ejus proprietatibus et significationibus; nam quia hoc sacramentum significat præteritam Christi passionem, præsentem gratiam, et unitatem corporis Christi in se et cum suo capite conjuncti, et futuram gloriam, et hæc omnia non poterant convenienter uno nomine explicari, ideo plura sunt illi imposita; et quatenus significat passionem, dicitur sacrificium; ut vero significat unitatem Ecclesiæ, dicitur communio; quatenus vero præparat ad gloriam, dicitur viaticum; et sub eadem ratione, vel quatenus realiter continet Christum, qui est plenus gratia, dicitur

Eucharistia, id est, bona gratia; ac denique metalepsis, id est, assumptio etiam dicitur, quia per hoc sacramentum Filii deitatem assumimus; hæc D. Thom.

2. Sed ut horum nominum ratio copiosior habeatur (multum enim conferet ad veritatem et majestatem hujus sacramenti explicandam) distinguamus imprimis duplicem hujus mysterii rationem, sacramenti scilicet et sacrificii; et quoniam de hac posteriori in secunda principali parte hujus materiæ dicendum est, illic etiam de nominibus, quæ ad illam pertinent, tractabimus; hic vero de illis, quæ rationem hujus sacramenti explicant; sunt autem in hoc sacramento multa, a quibus varia nomina, partim propria, partim metaphorica, sumpta sunt. Primum est, materia sensibilis ex qua hoc sacramentum conficitur; secundum est usus; tertium effectus; quartum est res, quæ in hoc sacramento continetur, scilicet Christus Dominus; quintum denique, significatio sacramenti.

3. Primo igitur a materia vocatur panis vitæ, panis qui de cælo descendit, verus cibus, esca spiritualis; quæ nomina et similia sumi possunt ex Joan. 6, et 1 ad Cor. 10 et 14; Ignat., epist. 14, panem Dei vocat, et epist. 15, vocat etiam panem cælestem; quæ nomina sunt aliquo modo metaphorica, quia, ut infra dicemus, post consecrationem revera non est panis; tamen quia ex pane confectus est, et quia specie, et usu externo figuram retinet panis, vel quia spiritualis animæ panis est, ideo panis, vel vinum appellatur; et ideo fere semper in Scriptura additur aliquid, quo hæc panis significatio indicetur, aut quasi elevetur, ut cum dicitur panis qui de cælo descendit, vel, panis qui dat vitam mundo; vel cum articulo, et quasi per antonomasiam, ille panis; atque ad hoc caput reducuntur alia nomina cibi, vel convivii, ut est illud apud Tertul., lib. 2 ad uxorem, *convivium dominicum*, quod indicatur Matth. 22, ubi sub quadam parabolæ convivii hoc mysterium adumbratur; et illud, quod sumitur ex 1 ad Cor. 11, *cæna dominica*. De quo vocabulo his temporibus orta est quæstio; nam hæretici solo illo uti volunt, imitantes, ut dicunt, Paulum prædicto loco, contra quos late disputat Claudius, disp. 6, cap. 1, et contendit tria. Primum, cum Paulus nominat cænam dominicam, non agere de hoc sacramento, sed de quodam genere prandii, seu convivii, quod in primitiva Ecclesia fieri solebat inter fideles ad refectionem pauperum; fiebat enim ex